

Dicit enim David: Dominus regnavit, decorem induit <sup>1)</sup>. Et Apostolus ait: Sicut in die, honeste ambulate <sup>2)</sup>. Quod Græce dicitur εὐσχημόνως, hoc autem proprie significat, bono habitu, bona specie. Deus ergo primum hominem cum conderet, bona habitudine, bona membrorum compositione formavit, et optimam ei speciem dedit. Remissionem non dederat peccatorum: sed posteaquam renovavit eum spiritu, et infudit ei gratiam, qui venerat in servi forma, et in hominis specie assumpsit decorem redemptionis humanæ. Et ideo dixit propheta: Dominus regnavit, decorem induit. Deinde alibi dicit: Te decet hymnus Deus in Sion <sup>3)</sup>. Hoc est dicere: Honestum est, ut te timeamus, te diligamus, te precemur, te honorificemus. Scriptum est enim: Omnia vestra honeste fiant <sup>4)</sup>. Sed possumus et hominem timere, diligere, rogare, honorare: hymnus specialiter Deo dicitur. Hoc tanquam excellentius caeteris credere est decorum, quod deferimus Deo. Mulierem quoque in habitu ornato orare convenit, sed specialiter eam decet orare velatam, et orare promittentem castitatem per bonam conversationem <sup>5)</sup>.

QUOD NATURALIA PULCHRA SINT ET HONESTA: TURPIA VERO CONTRA  
NATURAM.

Est igitur decorum quod præminet, cujus divisio gemina est. Nam est decorum, quasi generale, quod per universitatem funditur honestatis, et quasi in toto spectatur corpore: est etiam speciale, quod in parte aliqua enitet. Illud generale ita est, ac si aequabilem formam atque universitatem honestatis in omni actu suo habeat concinentem, cum omnis sibi ejus vita consentit, nec in ulla aliqua re discrepat. Hoc speciale, cum aliquem actum in suis habet virtutibus præminentem. Simul illud adverte, quod et decorum est secundum naturam vivere, secundum naturam degere,

1) Ps. 12. 2) Rom. 13. 3) Ps. 64. 4) 3 Gor. 14. 5) 1 Tim. 2.